



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Patrum Societatis Jesu

Couplet, Philippe

1686

XX[II]. P. Franciscus Sambiasi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)

Reliquit ad Præcelum

Thomam à Kempis de contemptu mundi. 2. vol.

Directorium ad fugienda peccata.

XXI. P. NICOLAUS TRIGAULTIUS Belga, eodem anno propagavit fidem in Prov. *Nan kim*, deinde redux ab Europa refedit in Provinciâ *Che Kiam* Metropoli *Ham cheu* ubi *Zum chim* Imp. anno. 2. (1629.) obiit & sepultus in loco *fam çin*. Ab eo edita.

De Computo Ectlesiastico.

Vocabularium Sinarum ad vocabula Europæa & pronunciationes juxta accentus. 3. vol.

Æsopi selectæ Fabulæ.

Latine item ab eo editæ annuæ missiones, & P. Matthæi Riccii Liber de expeditione Christiana apud Sinas.

XX. P. FRANCISCUS SAMBIASI Neapolitanus *Van lie* Imp. an. 41. (1613.) venit prædicatum fidem. Ex mandato Regis in aulam accitus, inde in Provincias *Ho nan* & *Xantum*, tandem cum *Siu Paulo Colao* venit in civitatem *Xam hay*: Deinde in *Su cheu*, *Yam cheu*, *Hoayngan*, *Nympo*, aliasque urbes Provinciæ *Nam kim* & *Che Kiam*, quibus in locis ab anno 1620. operâ & favore Proregum ac Præfectorum, ædes &

Ⓞ

Ecclesias erexit. Denique ab Imperatore *Xun quam* sub exitum Familix *Tai mim* cum potestate *Macaum* missus obiit in Metropoli *Quam cheu*, Provincia *Quam tum* an. 1640. æt. 67. Pro ejus sepulturâ amplum ei prædium cum lapide sepulcrali extra urbem Macaensem ex mandato regio assignatum. Ab eo edita.

De attributis divinis.

De Triplici anima, vegetativa, sensitiva & rationali,
2. vol.

De Causis somniorum.

De Pictura.

XXIII. P. JULIUS ALENI Italus *Van lie* Imp. anno 41. (1613.) primò ingressus aulam, dein cum *Siu Paulo Colao* venit in *Xam hay*, inde in *Che kiam*, ubi late promulgavit fidem, ac tandem in *Prou. Fo kien*, ibidem vulgo dictus *Confucius Occidentis*. Hic operâ & favore *Ye Colai* & Præfectorum in 8. urbibus Metropolitanis fundavit ædes & Ecclesias cum magnis rei Christianæ incrementis: per 13. deinde alia oppida erectis Templis & Oratoriis, tandem Imp. *Xun chi* anno 6. (1649.) obiit in urbe *Yen pim* æt. 67. sepultus est extra muros *Fo cheu* metropolis. Ab eo edita.